



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LX. Tinecense & Lubensense monasteria in Polonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

1021.

protomartyris construxit, circa annum 1021  
constituto ibi primo Abbate *Arnolpho*. Epi-  
scopus *Hitto* sepultus est in Ecclesia cathedra-  
li in crypta, transtulitque *Frisingam* corpora  
*Alexandri* Papæ & Martyris, *Iustini* Cardina-  
lis, & *Nonnosij* monachi, de quo scribit *B.*  
*Gregorius* in *Dialogis*. Imperator *Henricus*  
sanctus donauit monasterio *Vveichensteph-*  
*ensi*, ad preces *Egilberti* Episcopi castrum  
*Saxaganck* in *Austria*, cum suis attinentijs:  
pro quo *Engelbertus* per commutationem  
monasterio dedit villam *Hegelhausen*. In di-  
plomate *Henrici* Imperatoris sunt hæc verba:  
*partem cuiusdam insule Sabsonaganc, &c. in*  
*prouincia Orientali & in Marchia Adelberti*  
*Comitis sita, anno Domini 1021. sic ferè Hun-*  
*dius.*

## CAPVT LX.

*Tinecense & Lubensense monasteria in*  
*Polonia.*

**I**llustria hæc *Polonia* monasteria, origi-  
nem suam debent *Casimiro* eius nominis  
primo Regi *Polonia*, qui olim in *Cluniaco*  
monachus fuerat, non modò religionem pro-  
fessus, sed etiam ordine diaconus. Atque hunc  
quidem *Poloni*, professionis & Sacramenti  
religione à Pontifice Romano solutum, ad

vacans

vacans maiorum suorum regnum reuocarūt. qui ducta vxore & liberis procreatis cum annos octodecim regnasset, Posicanæ an. 1058. viuere desijt. Ceterum de vtriusque monasterij supra nominati fundatione ita Martinus Cromerus lib. 4. de Rebus gestis Polonorum.

1058.

Parato per circuitum regno Casimirus memor pristina conditionis, & vite monastica, victoriamque contra Maslaum atque barbaros diuino beneficio acceptam referens, Cluniacum vbi monachus fuerat legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga se Dei prædicat, sodalitati vniuersæ se suosque comendat, aliquot monachos ad se mitti postulat, qui secta illius, quasi colonias quasdam in Poloniam deducant. mittuntur duodecim. His partim Tineciam arcem, vno à Cracouia milliaro supra Vistulam cum centum amplius pagis: partim Lubensium opidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & pro ventibus alijs attribuit, domicilia monachis exstruxit, atque templa eaque per ampla, supellectili ad cultum diuinum apta, ornauit. Fuit autem primus Abbas Triuerensis, Aaron Gallus, cuius integritas, pietas & industria Cluniaci adhuc Casimiro perspecta erat. Atque is deinde Rachelino sexto Archiepiscopo sue

Episcopo Cracouiensi vita defuncto à sacro eius basilica collegio postulatus septimus successit, regis favore & commendatione adiutus, decimas, quæ ex bonis, Tiuecensis monasterij Episcopo Cracouiensi præbebantur Abbati & monasterio iure sempiterno addixit & adscripsit: diocesim psalmodijs et precationibus, ijs, quæ Graduum vulgò dicuntur, oneravit. Multa item alia Cazimirus Rex fecit et instituit, quæ ad religionis et reip. instauracionem pertinere existimabat: pace perpetua post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam mirum in modum recreavit, eoque Instauratoris pacifici cognomentum meruit.

## CAPVT LXI.

SACRI SEPULCRI  
DOMINICI

*Cænobium, in vrbe Cameracensi.*

An. 1047.

**A**Nno Christi millesimo quadragesimo septimo, cum pestis acriter Cameraci sæuisset, Gerardus eo nomine primus, eius vrbis Episcopus, nouum extra muros vrbis cœmeterium constituit, vt peste sublatis, quibus vetera cœmeteria vix sufficiebant, in eo sepelirentur. Eodem in loco & sacellum in honorem sancti Nicolai, atque in sa-

cri se-